

ptionem ad Episcopatum, longe alia ratio militat, ob quam votum Pontifici narrandum sit, quia illud votum non fuit conditionatum, sed absolutum, et ideo etiam absolutam obligationem a principio induxit ad religiosum statum sumendum. Ergo, quamvis fuerit ex culpa vel ex ignorantia personæ impedita ejus executio, et facta dependens a licentia Pontificis, vovens tenetur, quantum in se est, facere ut votum impleat, ac subinde majorem adhibere diligentiam, quam si a principio cum illa conditione vovisset; ergo tenetur obligationem suam specialem explicare; in nulla enim alia re potest majorem diligentiam adhibere. Secundo, et efficacius, quia quando votum præcessit, non potest Pontifex negare licentiam, nisi ex justa causa specialiter pertinente ad commodum Ecclesiæ, ut explicavi. Non potest autem Pontifex sub hac consideratione licentiam negare vel concedere, nisi de obligatione voti antecedentis certior sit factus; ergo necessarium est illi votum explicare. Probatur minor, quia cognitio voti præcedentis multum referre potest ad ferendum prudens judicium, expediat necne licentiam concedere, vel negare. Quod secus est quando votum subsequitur, quia tunc liberum est Pontifici negare licentiam sine alia causa speciali, solum quia non vult dissolvere vinculum Episcopi cum Ecclesia, semel rite et recte contractum. At vero, quando votum præcessit, licet vinculum fuerit ratum, non tamen fuit recte contractum, sed cum læsione voti, et ex ea parte cum Dei injuria; et ideo cognitio præcedentis voti multum refert ad ferendum prudens judicium, an licentia neganda vel concedenda sit. Est ergo narratio illius facienda Pontifici.

14. *Respondetur ad rationes in contrarium.* — *Ad primam.* — Nec contra hoc obstant rationes in contrarium factæ. Ad primam enim respondeo, nullum esse inconveniens quod Episcopus cogatur voti sui transgressionem aperire, ut remedium suæ conscientie inveniat, sicut in casu e. 1, *Per tuas*, ille Episcopus fecit. Quia vel ex propria culpa, vel ignorantia se in illo statu constituit, quod commune est et frequens in cæteris delictis, quæ vel reservationem, vel censuram, vel aliam similem obligationem dependentem a jurisdictione Pontificis annexam habent. Verum est tamen in aliis casibus regulariter non esse necessarium declarare personam, licet narretur delictum, ut dispensatio vel absolutio in foro conscientie obtineatur. In præsentibus vero non habet

hoc locum, quia necesse est explicare locum, seu Ecclesiam et episcopatum resignandum; et ita non potest occultari persona, quia renunciatio non potest non esse publica, et in exteriori foro, et cum cognitione causæ, quæ ex circumstantiis particularibus personæ et Ecclesiæ pendet, et ideo necessarium est etiam propriam personam manifestare. Solum ergo tentari prius potest remedium supra insinuatum petendi prius licentiam simpliciter sine declaratione voti, ut si concedatur licentia, sine declaratione proprii delicti obtineatur. Quod si hoc remedium non successerit, et licentia negata fuerit, ut illa firma et rata maneat, et conscientia tuta, necessarium erit, iterum explicato voto licentiam postulare.

15. *Ad secundam.* — *Ad tertiam.* — Ad secundam respondetur, illam rationem habere locum in voto quod a principio fuit conditionatum, non tamen in voto quod a principio fuit absolutum, et vi sua obligat ad omnem diligentiam convenientem, et moraliter necessariam ut adimpletio voti juste negetur seu impediatur. Ad tertiam similiter respondetur, non recte fieri æquiparationem cum irritatione votorum a religiosis emissorum; nam illa sunt a principio conditionata, et facta in statu subjectionis; et prælatus potest pro suo arbitrio negare licentiam sine speciali causa justificante. Nec in religiosis sunt alia vota facta ante statum subjectionis, quæ irritari possint, quia omnia extinguuntur per solemnem professionem. Solum in votis Societatis potest esse aliqua exceptio, de qua in proprio loco infra dicemus. Et per hanc resolutionem plene satisfactum est omnibus, quæ in ultima objectione præcedentis capituli proposuimus.

CAPUT XXI.

UTRUM STATUS INFERIORUM PRÆLATORUM VEL PAROCHORUM SIT PERFECTIOR RELIGIOSO STATU.

1. *Pars affirmativa probatur.* — De hac comparatione dissensio et contentio est non parva inter auctores supra citatos. Nam Henricus, et Major, et Gerson, etiam hos inferiores prælatos, vel etiam parochos censent esse in altiori statu perfectionis, quam religiosos simplices. Fundantur fere in his, quæ de istorum prælatorum statu in e. 15 dicta sunt. Nam omnia, quæ probant illos esse in statu perfectionis, consequenter probant esse in perfectiori statu quam sint simplices religiosi, quam consequentiam etiam Cajetanus probat. Ait

enim in 2. 2, q. 184, art. 6, § *Ad objectum contra secundam rationem*, etc.: *Quod si essent in statu perfectionis curati, essent in perfectiori statu quam religiosi, quoniam essent in statu perfectionis, ut perfectiores.* Unde in virtute sic argumentatur: status perfectionis, ut est ad perficiendos alios, quem nos statum perfectionis exercendæ appellamus, est perfectior religioso statu; sed curati sunt in statu perfectionis exercendæ, seu ad perficiendos alios; ergo eorum status est perfectior statu religioso. Confirmatur ac declaratur, quia pastor animarum, quicumque sit, ex vi sui muneris talis esse debet, ut possit alios purgare, et verbo et exemplo illuminare. Item, ut possit apud Deum pro populo intercedere, et venerandum sacrificium digne pro omnibus offerre. Unde debet esse sufficiens, non tantum sibi, sed etiam aliis. Denique, cujuscumque pastoris animarum munus magna indiget virtute, et fortitudine ad difficultates occurrentes sine lapsu superandas; ergo excellentiorem virtutem requirit quam status religiosus. Responderi autem potest, negando simpliciter consequentiam, quia ex vi præmissarum solum sequitur statum inferiorum prælatorum esse excellentiorem in suo genere; unde non sequitur esse perfectiorem simpliciter, sed solum secundum quid. Nam id, quod est sub nobiliori genere, ratione differentie potest esse simpliciter minus perfectum. Et ita status parochi licet participet statum ex genere suo perfectiorem, potest simpliciter esse minus perfectus quam religiosus status, quia diminute participat excellentiam illius status, et alioquin in multis ab statu religioso exceditur.

2. *Urgetur argumentum.* — Sed contra hoc instatur, quia Paulus, 1 ad Timot. 3, et ad Titum 1, describens excellentem sanctitatem quam episcopalis status postulat, sub Episcopo cæteros Ecclesiæ pastores comprehendit, ut communiter interpretes intelligunt; quia Paulus post Episcopos, omissis presbyteris, statim ad decanos transitum facit, presbyteros sub Episcopis complectens. Ergo omnes etiam inferiores prælati sunt in statu simpliciter perfectiori quam simplices religiosi. Unde Bernardus, serm. de Tribus ordinibus, de prælatis etiam non Episcopis loquens, ait necessarium esse prælatis perfectam charitatem de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Et adjungit: *Puritatem cordis in eo prælatus habet, ut prodesse desideret, non præesse; ut, scilicet, proprium commodum, vel honorem*

sæculi, seu aliud quippiam suum in prælatione non querat, præter solum beneplacitum Dei et animarum salutem. Sed cum intentione pura, necessaria quoque est irreprehensibilis conversatio, ut forma factus gregis, incipiat facere et docere, etc.; et infra: *Mihi et omnibus pariter veritas clamat, quoniam oportet irreprehensibilem esse eum, qui præest*; et infra: *Quoniam ea, quæ arguit in discipulis, oportet vitare magistrum, ob hoc qualis est in conversatione, talis sit necesse est etiam in occulta cogitatione*, etc. In quibus verbis magnam et excellentem perfectionem Bernardus ab omnibus prælatis requirit, et ad omnes accommodat, quæ Paulus de Episcopis scripta post se reliquit; sentiens postulari in illis, non tantum quia tales prælati, id est, Episcopi, sed absolute, quia prælati, et pastores animarum sunt. Unde Augustinus, epist. 148 ad Valer., exaggerans prælationis statum et pericula ejus, et excellentem sanctitatem quam postulat, non de solo Episcopo, sed etiam de presbytero loquitur, dicens, *nihil esse in hac vita, et maxime in hoc tempore difficilius, laboriosius, aut periculosius, Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur, quo noster imperator jubet.*

3. *Opposita sententia proponitur.* — *Confirmatur primo.* — *Secundo.* — Nihilominus contrariam sententiam tenent Cajetanus supra, et communiter Thomistæ; in eamque magis inclinat D. Thomas 2. 2, quæst. 184, art. 6 et 8. Nam, licet subobscurè et multis adhibitis distinctionibus loquatur, tandem, omnibus pensatis, videtur statum religiosorum præferre. Primo, quia religiosus status est quasi quoddam holocaustum, in quo persona se suaque omnia, et totam vitam ac voluntatem suam Deo consecrat; curatus autem, nec ita perpetuo se obligat, neque se totum et omnia sua Deo consecrat, sed tantum limitatam et inferiorem curam animarum suscipit, pro arbitrio suo illam administraturus, quamdiu voluerit. Secundo, quia religiosus, ex vi sui status, proficitur perfectum vivendi modum, et tendere semper tenetur ad perfectionem, exercendo magna charitatis, religionis et obedientie, et aliarum virtutum opera. At vero parochus, etiamsi ex vi muneris postulet vitam irreprehensibilem et exemplarem, non tamen excedit communem et moralem bene vivendi modum, qui in observatione præceptorum consistit.

4. *Tertio.* — Tertio, quia in statu ordinario

pastoris animarum difficilius est cavere peccatorum pericula, quam in religioso, et alioquin opera ipsa bona, ex vi talis status exercenda, non sunt nimis gravia seu difficilia, neque majorem vitæ partem occupant, et habent adjuncta plura humana commoda, quibus illa difficultas sublevatur; in statu vero religioso multo major est difficultas, tam in excellentia et perfectione operum, quam in illorum continuatione quasi perpetua, sine usu fere propriæ libertatis, saltem in animi præparatione, quam status obligatio requirit. Quod si in cavendis peccandi occasionibus major est in tali statu facilitas, hoc ipsum in ejus commendationem redundat, quia securitas boni, et immunitas mali, magna pars est felicitatis; et ideo etiam multum auget status perfectionem. Quarto denique, quia pastores animarum, ut in statu perfectionis constituantur, statum religiosorum assumunt; religiosi vero e contrario, ut perfectionem magis profiteantur, pastorem curam fugiunt; ergo signum est statum religiosum, pensatis omnibus, perfectiorem esse.

5. *Conclusio est, statum religionis absolute perfectiorem esse statu prælationis infra episcopalem, et æquivalentem illi, quamvis secundum quid sit imperfectior.* — In hac comparatione vix potest absoluta resolutio certa ratione definiri, quia videntur hi status mutuo se habere, sicut excedens et excessum. Nihilominus tamen, omnibus pensatis, posterior sententia præferenda videtur. Dico igitur statum religionis, absolute loquendo, perfectiorem esse statu prælationis infra episcopalem, vel æquivalentem illi; secundum quid autem, seu ex quadam hypothesi seu conditione, quæ moraliter vix adimpletur, statum horum prælatorum vel parochorum posse censi perfectiorem. Declaratur, nam isti duo status comparari possunt duobus modis, vel in ordine ad nos, vel secundum se. Priori modo, sensus quæstionis erit, quis illorum statuum sit ab homine eligibilior, tanquam aptior et utilior ad vitæ puritatem sectandam, et proficiendum in virtute et obsequio divino, et tandem vitam æternam consequendam. Et in hoc sensu, non est dubium quin status religiosus melior, et perfectior ac utilior sit. Hæc probant quæ pro secunda sententia proposuimus. Et declarari possunt, quia status religiosus absolute est sub consilio; non sic autem status habendi animarum curam; licet ex objecto malum non sit, nihilominus per se non consulitur, et multis circumstantiis indiget ut honestetur. Unde

status religionis, quo magis voluntarie suscipitur, eo melius et prudentius fit; cura vero animarum, quo magis coacte, et ex superioris inductione vel obedientia suscipitur, eo securius accipitur. Quod quidem de episcopatu docent communiter Sancti, ut videre licet in Augustino, 19 de Civit., c. 19; Gregor., in Pastoral., p. 1, c. 8; Hieronym., epist. 83 ad Ocean.; Chrysost., in libris de Sacerd. Cum proportione autem ad cæteros applicari potest, juxta mentem Pauli supra explicatam; et ita de omnibus loquitur S. Augustinus, d. epist. 148. Quapropter a fortiori potest hæc pars confirmari ex his quæ de episcopatu diximus, nimirum, licet sit perfectior status, nihilominus, per se loquendo, non esse materiam voti nec per illum impleri votum religionis, nec desiderandum aut procurandum esse. Ergo multo magis aliæ prælaciones inferiores, secundum hanc rationem et comparationem, cedunt statui religionis. Unde cum jus canonicum transitum ad religionem Episcopis prohibeat, inferioribus pastoribus permittit et consulit, quia meliorem vitam sequi cupiunt, ut ait Concilium Toletanum IV, c. 49, c. Clerici, q. 1. Unde Gregorius, lib. 10, epist. 39, quosdam monachos non solum hortatur ut quemdam hujusmodi clericum monasterium ingredi cupientem recipiant, sed etiam ait: *Quibus valetis adhortationibus, pastoralis admonitione succendite, ut feror hujus desiderii in eo non tepescat.* Et addit notanda verba: *Ut qui a turbulento curarum secularium tumultu se segregans, quietis desiderio portum monasterium appetit, rursum in ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari.* Et Gregorium imitatur Anselm., epist. 10 ad Goffridum, ubi censet hos seculares clericos, non minus in procellis et tempestatibus mundi versari, quam laicos, et ideo non esse a portu religionis abstrahendos, si ad illum a Domino vocentur. Ex his autem omnibus solum concluditur, statum religionis esse statum propriæ perfectionis acquirendæ, quod non habet de se status prælationis, aut curæ animarum. Deinde etiam concluditur, prælationis munus seu statum minus securum esse, religionis vero esse statum majoris securitatis in ordine ad spiritualem salutem, quod nemo negabit. Denique comparatio hæc in sensu isto est magis practica et moralis, confert enim ad prudentem electionem inter status ecclesiasticos faciendam, et moraliter etiam loquendo, magis habet locum in inferioribus prælationibus, et maxime in propria anima-

rum cura; quia ista munera et facilius procurantur, et frequentius in humanam electionem veniunt.

6. *Si status religionis et prælatorum inferiorum considerentur secundum se, perfectior est status prælatorum.* — Posteriori modo, sensus prædictæ comparationis erit, an status parochorum, secundum se spectatus, majus Dei obsequium contineat, et perfectiora opera ex suo genere requirat, ideoque de se perfectior sit quam status religionis. Et in hoc sensu speculative (ut sic rem explicem) concedi potest, statum pastorem esse perfectiorem simpliciter statu religioso. Et in hoc sensu procedunt motiva prioris sententiæ. Et favet D. Thomas, Matth. 5, in ultimis fere verbis, ubi, distinguendo perfectionem vitæ in perfectionem meriti vel status, et enumerans plures perfectiones meriti vitæ, unam dicit esse *perfectionem excellentiæ vitæ*; et addit: *Ad hanc tenentur clerici super laicos.* Ergo inter clericos maxime debent illam profiteri omnes, qui sunt animarum pastores, seu prælati; quos paulo inferius dicit habere statum perfectionis, ut supra notavi. Dixi autem hunc excessum speculative potius considerari, quam practice inveniri, quia, licet verum sit obligationem illius status magnam requirere perfectionem, et opera ejus, si debito modo fiant, quando occasio eorum occurrit, vel in præparatione animi habeantur, quando deest occasio, esse magni meriti apud Deum, et fortasse majoris quam sint ordinaria opera simpliciter religiosi, nihilominus, practice loquendo, illa conditio difficillime raroque impletur; quia in eo statu impedimenta perfectionis non sunt ablata, sicut sunt in religioso. Et ideo dixi hunc excessum esse secundum quid, quia solum ex quadam hypothesi, quæ raro impletur, consideratur.

7. *Status Episcoporum cur simpliciter sit perfectior.* — Quod si objicias, idem dici posse de statu Episcopi, respondeo, ex parte quidem id verum esse; quia tamen status episcopalis in multitudine et excellentia operum, et eminentia dignitatis in eo superat, quod plures occasiones exercendi heroicis virtutum

actus secum affert, et minuit frequentiores peccandi occasiones, ideo status Episcopi simpliciter dicitur perfectior, inferiores vero tantum secundum quid, ordinarie ac regulariter loquendo.

8. *Dignitas sacerdotum majorem sanctitatem postulat, quam status religiosi, laici conversi.* — Accedit tandem quod status religiosus per se non excludit aliqua ex his quæ in inferioribus prælatis perfectionem requirunt, ut est, verbi gratia, sacerdotium. De quo D. Thom., d. art. 8, fatetur, dignitatem sacerdotis esse majorem, majoremque postulare sanctitatem, quam statum simpliciter religiosi laici, seu conversi. Hæc vero dignitas de se communis est religiosi. Unde qui illam habent, ex ea parte æquales sunt sæcularibus prælatis, a quibus in munere exceduntur. Nihilominus tamen etiam potest status religiosus multum de perfectione illius muneris participare. Nam, quia religiosus status est status proficiendi in perfectione charitatis, tam Dei quam proximi, ideo de se non sistit in profectu proprio, sed etiam confert virtutem ad perficiendos et illuminandos alios, et ex vi charitatis perfectæ, ad illud charitatis opus inclinatur. Ergo status religiosus in sua latitudine hoc genus perfectionis amplectitur. Et quavis prælatus semper in hoc superent, quod magis ex officio majorique obligatione justitiæ, ad talia opera præstanda teneantur, nihilominus potest hoc in religioso compensari, tum ex obligatione voti paupertatis aut obedientiæ, tum ex majori fervore charitatis, et puriori intentione, quam ex vi status habere potest et debet, nulla temporalia lucra vel honores per hujusmodi ministeria quærendo. Eritque in religioso statu tanto major perfectio ex hoc capite, seu exercitio procurandi proximorum salutem, quanto illud fuerit ex vi professionis talis status magis intentum. Ergo, omnibus pensatis, status religiosus ex genere operis perfectior est, quam quilibet status clericalis infra episcopatum; quamvis in particulari, imperfectus aliquis status religiosus, ut, verbi gratia, militaris, statu parochorum, vel alio simili inferior esse possit.